

tur, magna cum anxietate et virium prostratione, et maximo vitae periculo. Eundem apud Gesnerum invenies. Sunt qui credant tum esse malefica, cum salicem, quae fluvio-

rum ripas obsident, floribus in aquam deciditibus vescuntur; sed quia nec salicibus nec aliis Barbi partibus ista vis, praestat culpam in idiosyncrasiam conjicere.

CAPVT VI.

De Capitone.

ARTICVLVS I.

De Capitone Aufonii, seu Squalo veterum.

TAB. XXVI.
*Aldrovand.
de Piscibus
l. 5. c. 17.*

Piscis, quem hic descripturi sumus, a magnitudine capitis, *Capito* Latinis dicitur. Apud alias nationes varia invenit nomina, quae apud Aldrovandum, Gesnerum et Bellonium vide.

Quis sit apud veteres, difficile est dictu, Bellonius *Thedonem* Aufonii, quem nullo spinæ nociturum acumine dicit, Rondeletius *Capitonem* ejusdem, Salvianus *Alburnum* Aufonii, et Galeni *Lencesium*, Aldrovandus *Squalum*, ut Romae vocatur, esse putat.

Marino *Capitoni* *Mugilibusque* aliis corporis figura similis est: dorso tamen minus lato et corpore compressiore. In dorso item unicam duntaxat *pinnam* habet, *Mugilum* vero genus duas, unam videlicet in ejus medio, alteram inferius caudam. *Mugiles* denique lineas quasdam habent subobscuras a branchiis ad caudam productas, quibus carere omnino *Squalum* Salvianus scribit: unam tamen ei lineam esse Gesnerus proficitur, sed quae leviter appareat. Idem Salvianus ait habere parvum caput, Rondeletius contra crassum et magnum: id quod pleraeque etiam vulgares nomenclaturae indicant. Rursus uterque dentes habere negat. Rondeletius os tantum asperum esse ait: Gesnerus vero dentes ejus latere in faucibus asserit, maxilla fere semicirculari, superne leviter aduncos, ordine duplici, exterius quinos, interius binos. *Dentes* enim ei tribuit Albertus his verbis: *Piscium omnium dentes valde acuti sunt, exceptis perpaucis, qui in lateribus gutturis, mandibulas habent, ut pisces fluviatiles magnis*

vestiti squammis, *Barbellus* (at huic squammæ sunt exiguae) *Monachus*, et alii quidam. Hi enim habent dentes latos aliquantulum, magis ad conterendum cibum, quam ad dividendum idoneos: quamobrem etiam omnes aequales sunt: et ideo natura abscondit eos in gutture, ut clauso ore aqua non suffocet mandentes hos pisces. Tales autem dentes maxime habet *Carpo* (ut *Cyprinus*) piscis, *Labra* sunt satis crassa. *Oculi* nigri, in circuitu aureoli; tempora subflava, *Os* rubicundum, *branchiae* utrimque quaternae geminae, colore totus est argenteo: dorsum tamen minus quam venter et latera pollucet. *Squammæ* splendidae sunt, albicantes, angulosae latae, cute ultra medium obductae, minimis variante punctis. *Aristis* in carne multis abundat, quarum etiam in *Capitone* meminit Aufonius, qui item a squammarum magnitudine squammeum cognominavit, dum canit:

Squammeus herbosas Capito inter-
lucet arenas,

Viscere praetenero fartim conge-
stus aristis.

Gesnerus cum circa Octobris calendas unum ovis gravidum magnum item et praepinguem inspiceret, nullas in eo apparuisse aristas testatur. Quare vel non omni tempore, vel non omni aetate in iis reperiri credendum est. *Ventriculum* parvum habet, intestina parva, *hepar* ex albo rubescens, fel in medio viride, *vesicam* geminam aëre plenam, *peritoneum* nigricans. Circiter libram plerumque implet, aliquando tres et quatuor, aliquando sed rarissime, octo